FLORA.

№ 34.

Regensburg. 14. September. **1861.**

Inhalt. KRITIK. Nylander, Circa scripta Friesiana adhuc animadversiones. — W. A. Leighton, Lichenes britannici exsiccati (Fortsetzung). LITTERATUR Dr. F. Wöhler, Ueber das Aribin. — Briefliche Mittheilungen. — VERZEICHNISS der im Jahre 1861 für die Sammlungen der k. botanischen Gesellschaft eingegangenen Beiträge.

Circa scripta Friesiana adhuc animadversiones. Scripsit W. Nylander.

In Florae numeris 28 et 29 heri ad me perventis legere contigit responsa observationibus paucis, quae circa opera bina ultima a D. Th. Fries edita vel praecipue de contumeliis in iisdem contra me accumulatis exposui. Nunc solemniter „lectoribus hujus diarii“ verba faciens, innocentis et a culpa remoti partes agit, et contendere vellet me castigationem operum suorum suscepisse. Cuique autem animadversiones meas legenti patet, me tali labori nimis fastidioso parum studuisse, nec me unquam dignum habere auctorem Upsaliensem sequi per contumelias et insinuationes torquentes, quas in me effundere nisu continuo occupatur; paucis igitur solum exemplis naturam elucubrationum Friesianarum designavi. Nuperrime praeterea in ephemeride vulgari (nec scientiam spectante) suethice longam scripsit litteram, ubi inter res alias innocentes lectoribus persuadere sibi operam dat, a lichenologis hodiernis plurimis (vel ab eorum majore parte, ut dicit) mihi judicium pessimum decerni, tamen afferre oblitus est, ubinam gentium hae sententiae ita asperrime adversae infestaeque legendae exstant! Citavit quidem olim fidum Dominum „K.“, at quomodo ejus auctoritas absoluta habeatur parum cognitum sit et plerosque plurimosve alios lichenologos acriter (teste Friesio) me judicantes numquam detegere valui. Maxima auctoritate et judicio certissimo in hac re botanica gaudentes vel existimatores maxime intelligentes vel experti vel arte analytica maxime insignes

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr05976-0531-8

hodierni temporis credere fas est ex gr. cel. Tulasne, Tuckerman, Duby, Hooker, Bornet, Lindsay et Coemans; quin interrogentur, et videatur quaenam eorum est opinio! Et quot quidem in ipsa schola Massalongo-Koerberiana animo Friesiano assentiant? Credo etiam eorum neminem id facere, nam viri scientia occupati modum magis observare solent.

Supra (in Flora p. 450) reprehendens dicit D. Fries de me: „quasdam res aggressus est neque principia." Cur non in nubes abire? Elementum nebulosum principiorum modo Friesiano verba prolixe diffundenti maxime indubitanter est commodum, at parum practicum*). Atque quid de generibus auctoris disputetur Massalongo-Koerberianis infinitis; quamdiu evitare caute evitavit, quas singula contineant species, manent quasi umbrae inanes, limitibus omnibus certis et substantia seria destitutae. Confiteri eum videmus obiter, sibi dubium esse cujus generis habeantur cognitissima *Placodium fulgens* et *Platysma Fahlunense***).

Denuntiatas solum volui et veritati debui insinuationes contumeliosas Friesianas et verba ejus sane „inter homines eruditos fere inaudita", quibus scripta sua conspurcavit; errores simul quosdam indigitavi, et haec omnia justo quidem lenius, si comparantur cum modo scribendi adversarii. Lubrice respondens speciem tentat Magister Upsaliensis qualemcunque sibi conservare errores vel contumelias dissimulantem, evidenter praesertim iis scribens qui credunt potius quam examinant.

Videatur aliquantulum qualia sunt responsa ejus.

De *Cetraria nigricante*, ut nempe distinctionem speciei a me factam infirmaret, insinuare audet (Lich. Arct. p. 36), eam „secundum" specimen unicum (vel paucissima) descriptam" esse, quum de tali re nihil scire potuit. Nunc argumento explicationis sibi solito dicit „credidi", quasi hoc satis esset. Credidit, ut affert, „inventorem plantis phanerogamis indagandis occupatum — lichenes vix dubie obiter modo collegisse"; unde sequeretur, ut lichenis insignis,

*) Insinuatio ibi nova adest contra systema meum, quod dixi parum in genere a classicis praecedentibus differens, nisi ut dispositioni loco arbitrii normam et basin anatomicam dederim. Posteri judicabunt, sed judicium Friesianum certissime minimi est ponderis minimaeque auctoritatis.

**) Infausta est conjectura ejus (Gener. Heterol. p. 54) *Platysma commixtum* (quod doleat non bene agnoscendum nisi spermogoniis) esse *Parmeliam sciastram* Ach., nam in Nyl. Syn. Lich. p. 428 videre licet, hanc pertinere ad speciem longe distantem. Simul, insinuatione indolis solitae innocentis, genus *Cetrariam* ibi a me solis spermogoniis distingui a *Platysmate* affert.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr05976-0532-4

de quo agitur, unicum speciminulum reportatum fuerit. At „inventor" F. Nylander non solum plantarum phanerogamarum, sed quoque cryptogamarum insignium messes ingentes et fere semper magno individuorum numero e Lapponia reportavit. Frustulum miserum cl. Saelan e speciminibus speciei illius in „Museo Fennico" asservatis communicavit et inde argumentum alterum exstitit auctori Upsaliensi (conjecturis infauste excellenti), hoc frustulum omne esse quod vidi. Conjecturae tales ei sufficiunt, ut rem absolute affirmet. Addit nunc „forsan erraverim", sed hic sub judice est non solum error, sed insinuatio manifesta, quam auctor nomine scientiae scribere haud metuit.

Animadverti quomodo, ex methodo statui hodierno scientiae parum congruente, ex gr. in *Squamaria gelida* de „verruca centrali" thalli loquitur, quum analysis ostendit eam „verrucam" sistere cephalodium. „Ut Acharius, Fries, Schärer, Körber etc." scribo, est responsio auctoris Upsaliensis, perinde ac si alios etiam in erroribus sequi fas esset. Cephalodia analoga quoque in *Lecidea panaeola* sunt animadvertenda. Ceteroquin in scriptis Friesianis observari potest magna saepe similitudo diagnosum cum iis ab auctoribus ante datis, et interdum fere totae transcriptae leguntur.

Inutile est ut hic *gonidiis* et *granulis gonimis* reveniam, nam satis superque scriptis meis et figuris editis demonstravi eorum elementorum momentum summum inter characteres lichenum, quod post plures annos quotidie amici et discipuli semper maxime conspicuum et utilissimum inveniunt. Hoc non vult Fries, et libenter in errore suo permaneat, sed de alia re praecipue agitur et eam more solito lubrice fugit. In Lich. Arct. p. 79 *Psoroma hypnorum* docet *Pannarieae brunneae* „maxime esse affine et generice vix tute distinguendum." Sententiam talem titubantem turbidamque auctorem „convictione nulla sincera suffultum prodere" animadverti vel nescium quid ibi scribit, nam quomodo duae species „maxime sunt affines" et simul „generice vix tute distinguendae" haud est explicandum; verbis ejusmodi contortis jurabit forsan D. „K." at „restat modo videri, an applaudant alii." Disquisitiones clarissimi Schwendener citantur; quae autem ab eo auctore editae sunt experientiam analyticam minus maturam ostendunt (sicut in Lich. Scand. p. 75 animadverti) et gonidia sane singularia in figuris suis delineavit. Quidquid contrarium affirmetur a D. Fries, intacta manebit differentia inter gonidia (libere disposita et cellula parietali distincta praedita) et granula gonima (cellula parietali nulla distincta praedita et inclusa vel instrata in substantia gelatinoso-cellulari thalli vel in glomerulis ejusdem substantiae peculiaribus, nec libera, et coloris alius

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr05976-0533-0

etc.) Differentia haec manifestissima „utilitatem characteris" satis probat. Idem valet de differentiis spermogoniorum, quas negligunt vel aversantur qui eas non videre valent aut qui inexperientiam suam quodammodo occultare volunt.

Nunc „lapsum calami vel typothetae" declarat Magister Upsaliensis, se attulisse, me tres Lichenes ad tres tribus diversas duxisse, quum revera eos ad unam eandemque tribum refero. At singulare est, similem „lapsum" innocentem etiam alibi perlibenter prodire (cf. Lich. Arct. p. 79).

Talia sunt ejus argumenta lectoribusque hujus diarii (qui eadem vix perlegendo patientiam suam tentarunt) facilis singulorum refutatio superflua. Quid ex. gr. valet etiam quod de *Lecidea myriocarpa* deblaterat: „forsan est species a cel. Dufour sub hoc nomine distributa, sed cum specim. Candoll. opus est comparatione", quum plane constat (vide DC. Fl. Franç. 2, p. 347) classicum lichenographum De Candolle (nimis vel omnino a posteris aliarum terrarum neglectum) hunc lichenem obtinuisse a „cive" Dufour, qui eum modo e salice cava habuit speciminibusque quibusdam distribuit. Insinuationibus porro novis taxare studet D. Fries, me nomina mea aliis praeferre; quod quidem ubi rarissime feci, rationes sufficientes datas fuisse crederem, semperque declaravi me nominum gloriolam parvi aestimare. Quid *Calicium albidum* Schum. exacte sit, forte non penitus perspectum est, et nomina ante in genere quodam data evitanda censentur (etiam vulgo in schola Friesiana), sed certe liquet „Alectoriam Thulensem" Th. Fr. saltem duo nomina anteriora obtinuisse*).

*) Dicit D. Fries „nec vitio vertendum, me specimen originale Acharianum non vidisse", sed si de nomine Achariano haud certus erat, nomen Deliseanum ei non ignotum fuit et vitio vertendum est novum nomen propositum fuisse. — Ultra quam satis est, si hic addantur quaedam adhuc exempla. Sic nomen *Verrucaria muscorum* Fr. frustra resuscitatum videtur, nam ex Lich. Eur. reformata p. 432 ei synonymia *V. gelatinosa* Ach. subsumta invenitur et habitatio vaga „in montosis" (ubique?) confusionem certe nimiam sub illo nomine latentem indicat. — Quam est serium quod respondet (p. 453) Magister Upsaliensis circa animadversionem meam de coloratione iodo effecta in *Agyrio rufo*, ubi insinuationem solitae naturae exhibuit (Lich. Arct. p. 243), se „de scriptoribus loqui", quum nemo praeter cl. Coemans de re scripsit! — In Fr. Lich. Suec. exs. 81 „Cladonia decorticata" datur; ita mea ejus nominis est quidem *Cl. decorticata* Fr. pr. p., licet non sit *Cl. decorticata* Flk. et Fr. Lich. Eur. ref. p. 227, nominis cujus hic sensus Floerkeanus omnino supprimendus, nam est synonymon pityreae Ach. (ut in Lich. Scand. p. 50 animadverti, et hoc loco doleo me observare habere ibi omissas esse *Cl. endiviaefoliam* et *alcicornem*.) — *Arthoniam mediellam* Nyl. in libello Herb. Mus. Fenn. inscripto, a D. Fries saepe citato, videre facile licuerat enumeratam et

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05976-0534-6

Quali veritate D. Fries me „veterum opera despicientem“ declarat scripta mea legentibus satis constat, neque nesciunt quantam synonymiae curam habeo et praecipue quidem veterum auctorum, apud eos enim forte diligentius quam ullus alius scriptor hodiernus, easdem res tractans, basin quaesivi nomenclaturae seriae. Sed offendere videtur Magistrum Upsaliensem, me peccata quaedam indigitasse patris et ipsius; inde irae maximae et vere miserandae. Alii autem in ejusmodi casu vix vel ne minime quidem irati sunt; sic ex. gr. cl. Lindsay, quem in Prodr. p. 56 nonnihil admonere debui, ob hanc causam modo magis est factus amicus. Haud ita Fries. Arrogantiam vero et res personales ambitiosasque in scientia intrusas despiciendas habeo.

---

similiter jam anterius editam, nec tunc „ingenue fateri“ opus habuerat, se „nomen hoc nunc prima vice vidisse“, nec novum proponere.

Mirum sane videtur, eum de typo „Biatorae campestris,“ Fr. mentionem facere, quum in Lich. Eur. ref. p. 265 huic nomini citatur synonymia *Pezizae Mougeotii* Pers. (cum figuris et analysi editae) atque in Lich. Suec. exs. 222 expresse in schedula ab auctore narratur, specimina distribuenda a vermibus devorata fuisse. Habeo equidem lichenem a Fries determinatum „B. campestris“; quid est in Nyl. Lich. Scand. p. 32 conspicere licet. *Biatora Mougeotii* ea in Lich. Eur. ref. non dici videtur ob nomen jam alii datum „Mougeotiana“ DC. — Circa detectum meum (quod celeberrimo Tulasne adtribuerat, eum solum citans) de thecis Sphaeriarum nunc declarat Magister Upsaliensis: „superfluum mihi videbatur observatiunculam Nylandri seorsim afferre“ (et adhuc impudentius addit)“ sententiam ab ipso receptam infirmantem vel refutantem“; quicunque me legit notum habet quali cura res hic respectas separavi et definivi, characteres lichenum et fungorum distinguens, neque regulas cum exceptionibus confundens ut insinuare vellet. Contumelias ita impavide emittit et postea innocentis stupefactique aut indignati comoediam agit, quando contumeliae illae denuntiantur. Quod ad detectum hic memoratum pertinet (est meum etiamsi perexiguum sit, et ut ullum tanti quidam momenti faciat superbus Magister Upsaliensis diu est forte attendendum), eo commotus (postquam rem ei indicavi) cel. Tulasne facile observationes ad plures species extendit, nec tamen omnino similiter vidit (et erronee, credo, ut jam in Flora 1858 p. 116, animadverti). — Certe Schaerer *Lecanoram cineream* et *calcaream* ad unum genus retulit, sed nondum eas unam arcte juxta alteram disposuit, tamquam progressu notando, ut animadverti) fecit Magister Upsaliensis, modo perparum a meo differente; hocce sine dubio haud male, sed ita ad meam videndi rationem omnino accedens simul, „verbis vix convenientibus conspurcans opus suum et glorians“, „missa omni dignitate“ et „irae succubiturus“ (ut ipsius utar vocabulis innocentibus, sibi ipsi certe verius applicandis quam mihi, ut haud nescit), contra me progreditur (Lich. Arct. p. 131) et hoc minus bene videtur. — „Hircos Thoreanos“ et ceteras facetias Friesianas fortunae committamus; verendum est ne auctorem Upsaliensem haud juvent et ne frustra revivisceant.“

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05976-0535-2

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1861

Band/Volume: 44

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: Circa scripta Friesiana adhuc animadversiones 529-533